

A calamitas animum adfligit, quantam hoc Psalmo tot anxij querimonijs expressam videmus, magna opus est fide, vt cum hoc Propheta dicamus: *Benedictus Dominus in seculum*: & cum beato Iob: *Sit nomen Domini benedictum*. Non simus igitur de eorum numero, qui Domino tum primùm benedicunt, quando prosperè habent in hoc seculo: sed discamus cum hoc Propheta etiam in summis illi tribulationib. laudis offerre sacrificium ac dicere: *Benedictus Dominus in seculo*: nec dicere tantùm, sed & toto corde optare.

Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Psal. 49.

PSALMVS XC.

ARGVMENTVM PSALMI.

Videtur hic Psalmus ad hoc compositus à Mose, vt populum admoneret. Primùm, quanta sit vite nostra breuitas & miseria. Deinde, vnde illa sit, nempe ex eo, quòd peccatis nostris iratus Deus cursum vite nostre & adflictum reddiderit & decurtatum. Adijcit orationem, petens à Deo, vt populi sui misertus, præteritam calamitatem sequenti felicitate adæquet, atq; ita seruos suos hæcenus tristes & miseros exhilaret.

Diuisio Psalmi.

Sunt autem quatuor Psalmi partes. 1. Prima prouidentiam Dei erga populum suum, ac diuinitatis illius sempiternitatem celebrat: versicu. 1. & 2. 2. Altera humanæ vite miseriã ac breuitatem deplorat: vers. 3. 4. 5. 6. 3. Tertia, vnde vtraq; sit, docet vers. 7. 8. 9. 10. 11. 4. Quarta, Psalmum imploratione misericordie Dei concludit: vers. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

ORATIO MOSIS, VIRI DEI.

Psalmum hunc compositum esse à Mose, ipse titulus indicat, quantumuis hoc AVGVSTINVS neget. Si quid existimationis & prærogatiue ex autore ac vetustate est, erit nobis hic Psalm. vtroq; nomine commendatus. Dicitur est autem oratio, propterea quòd orationis spiritu & affectu prolatus est, & ea quæ orationis sunt complectitur: vt sunt, ἀγασία, ἀσφοδία, miseriæ deploratio, diuinæ gratiæ ac misericordie imploratio.

Vocat præterea titulus Mosen virum Dei: quod elogium Prophetis passim in Scripturis tribuitur, ac singularis cuiusdam pietatis & sanctimonie encomium habet: & idein sonat, ac si diuinum virum dicas. Chald. legit משה בן אלהים: id est, *Propheta Domini*. Commendat itaq; Mosen Psalmi huius autorem à præcipua mentis pietate ac sanctimonia, qua plurimum commercij habebat cum Deo: sicut in seruo DEI, ministerij vocatio & in filio DEI electionis & adoptionis gratia prædicatur. Admonet ergo nos tituli lectio, vt summa cum attentione mentis obseruemus, quid vir DEI tantus, cum

Vir Dei.

PRIMA PARS.



Domine, habitaculum tu nobis fuisti, à generatione in generationem. 2. Antequam montes generarentur, & formaretur terra & Orbis, & à seculo & vsq; ad seculum tu es Deus.

VERS. I.

In lectione nihil est obscuri. Vers. 1. Moses beneuolentiam DEI celebrat, qua populum Israël præteritis generationib. varijs beneficijs affectit, & perpetua quadam protectione tutatus est. quare a tibi sic legimus: Non permisit hominem nocere eis. Protectionem hanc dictione דברך intelligit, quam Græc. reddidit καταφυγή, Latinis *refugium*. quæ lectio vel de fide piorum ad protectionem DEI sui in omnib. tribulationib. confugientium, vel de ipsa protectione Dei ad se confugientes conseruante, exponi potest. Duplici namq; ratione DEVS refugium suorum dicitur: vnà, quòd illi ad eum in afflictionib. confugiunt: altera, quòd is ad se confugientib. protectionis ac refugij tutelam impertit. Vtrouis modo exponamus nihil retulerit. Agnoscit igitur hoc versu Propheta maioribus: hoc est, populo Israël, DEVM nunquam defuisse. ideoq; non simpliciter dicit, *Fuisti nobis habitaculum*: sed addit, *à generatione in generationem*. Habet igitur hæc particula speciem eucharistiæ: id est, gratiarum actio.

EXPLANATIO. Vers. I.

Antequam montes generarentur.] Habet hic versus ἀσφοδία, qua diuinitatis in DEO sempiternitas prædicatur. Tu es Deus, inquit, antequam montes generarentur, ac formaretur terra & Orbis, à seculo vsque in seculum: hoc est, in sempiternum. cuius diuinitas nõ demum cœpit, vbi maioribus nostris primùm innotuisti, sed totius Orbis & omnium quæ in eo sunt creationem præcessit. Quod autem montium primùm, deinde terræ meminuit, per epitasin est factum. Q. d. Non modò ante montes, sed ante ipsam quoq; terram, è qua sunt montes, tu es DEVS. Meminit verò terræ, eò quòd ipsa in operib. creationis prima ponitur. Et orbis, inquit. Dictione Orbis vniuersum illud, omnia condita complectens, intelligit. Montibus tribuit ילדה id est, *generationem*, eò quòd veluti nati videantur ex terra. Terra & Orbis ילדה id est, *formationem ac fictionem* adscribit, loquens non solum de creatione telluris, sed vniuersa illius expolitione & cuncto ornatu. Illud, *à seculo vsque ad seculum*: id est, vsque in sempiternum. Q. d. à principio ad finem vsq; seculorum. Cauendum est autem, ne putemus Deum in principio seculorum cœsisse, ac cum fine Mundi huius desitutum, in principio siquidem seculorum erat Deus, & vbi terra dissoluetur, idem ipse permanebit. sicut alibi Dauid dicit: *Ipsi peribunt, tu autem permanes*. Ita vides hoc versu celebrari sempiternitatem diuinitatis in Deo: id quod Propheta non si- hætatione facit. Commodùm enim humanæ vite breuitatem ac mortalitatem deploraturus, sicuti

Vers. 2.